

σημειολογία μεταφυσική,
hoc est

DISPUTATIO METAPHYSICA
DE

Signo & Signato

continens

Axiomata,

Quam

Aspirante Divini Numinis Gratia
in Florentissimâ ad Albim Academiâ.

Sub Praesidio

VIRI

CLARISSIMI & PRÆ-EXIMII

DN. M. MARTINI LIPENII,

Gortzâ-Brandenb. Marchici, Collegii

Philosophici Adjuncti Dignissimi
in publico Eruditorum foro

placido Philosophorum Examini sistet

JOHANNES SCHULTETUS,

Neo-Wedel. Neo-Marchicus,

Autor & Respondens.

Ad d. 24. Martij

Anno 215070¹¹ias M DC LIX.

In Acroaterio Majori,

Horis matutinis.

WITTEBERGÆ, typis MICHAELIS Wendt.

α. L'XIX. 33.

~~36~~ 36.

Coll. diss. A
69, 33

DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
Signo & Signato

AXIOMATA

Alpharato Divini Nominis Gratia
in Philosophia ad Albinus Academicis

sub Praeside
VIRI

DR. M. ALPHARATI LIPSENI



Gotzsch-Brandenburgisch-Preussisch Collegii
Philosophici Albinus Academicis
in publico Auditorio

Publico Philosophorum Exercitio

IOHANNES SCHMIDT

Neo-Weid. Neo-Marchicus


Autor & Respondens

Ad. e. M. M.

Anno 1799 M. DC. LXXIX

in Philosophia Albinus Academicis

Philosophorum



WITTEBORG: Typis Michaelis

10



בְּאֵלֵינוּ

ΠΡΟΟΪΜΙΟΝ.



Agnum cōmodum ex doctrinā
 Metaphysicā de Signo & Signato
 cūm in alias disciplinas, tūm potis-
 simum in Theologiam profuere,
 nemo potest diffiteri. Id quod vel
 unicus iste *Articulus de Sacramentis*
tam in genere quā in specie ostendit,
 utpote in quo docetur, quomodo Sacramenta sint
 Signa appellanda, & qualia Signa sint, & quæ Signato-
 rum eorundem natura, quivē effectus sint. Proinde
 aliqua de hāc utilissimā materiā axiomata proponere,
 explicare & vindicare in præsentī Disquisitione Phi-
 losophicā instituimus. Ante omnia autem DEUM
 veneramur, ut conatibus nostris clementer benedi-
 cere ac veritatem docere velit! Esto itaq;

*Praludium
desumitur
ab usu hujus
doctrinae.*

*Applicatio
ad institu-
tum.*

Axioma I.

Signum non minus ac Signatum Ens est.

ΔΙΕΞΟΔΟΣ.

§. I. Sine verborum ambagibus ad PROBATIONEM dati
 Axiomatis properamus. Utut enim Axioma sit tale datum
 Philosophicum, quod per se fide dignum est, majoris tamen
 certitudinis & evidentix ergo probabimus, quod posuimus
 Theorema. Ejus igitur ratio duplex dari potest: 1. à *Pari.*
Dato uno similium, dandum quoq; est alterum. Jam autem datur,
 & ab omnibus Philosophis conceditur, Unum, verum, bo-
 num, mensuram, universale, aut singulare &c. vera esse entia,

*Probatio
1.
à Pari.*

2. *ab exemplis.* *c. 2.* quapropter haud dubiè etiam poni necessum est, quod Signum verum Ens sit. 2. *Ab Exemplis.* Adducit Aristoteles i. Rhet. Exemplum de ægritudine, Signo febris, aut alius morbi. Cui infinita alia addi possunt exempla. Sic sonus campanæ Signum instantium sacrorum, vociferatio oppidana Signum exorti incendii, suspensa hederam aut posita vitis vendibilis vini aut cerevisiæ recentis Signum, mappæ librariæ Signa vendendorum librorum &c. verè sub censum Entium veniunt, nec datur dissimile exemplum, E. statuendum omninò est verum esse positum canonem.

Limitatio.

§. 2. Probationem excipit **EXPLICATIO & LIMITATIO.** Ideoq; bene tenendum hîc est, quod quando nos Signum æquè ac Signatum Ens vocamus id non intelligamus (I.) *in oppositione ad rem Signatam*, quasi Signum rei sit ipsa res Signata seu Signo expressa; hoc enim apertè falsum est. Ecquis enim hederam vocaverit rem ipsam, seu vinum, quod vendibile est? quis sertum virginitatis Signum, ipsam virginitatem esse dixerit? *Sed in consideratione propriae suae Entitatis*, ut Signat, & aliud representat. Ita enim vicissim nullus inficias ire potest hederam ac sertum Entia esse, utpote quorum quidditatem vel soli sensus probare possunt. Deinde (II.) id non intelligimus *formaliter*; sed *materialiter*. Illo enim modo non magis Signatum, quàm signum Entia sunt: Utrumq; enim nomine affectionis, non nomine Entis venit. Neq; enim Unitas Ens est, sed affectio Entis: Neq; Signum (formaliter sumptum) Ens est, sed Entis aliquod attributum. Interim tamen hoc modo, ut Principiatum, finitum veræ essentiae sunt, ita quoq; Signum (materialiter sumptum) nihil aliud quàm Ens propriè dictum est, quod secundum hanc conceptibilitatem in signando consistit & per hoc ab aliis affectionibus disjunctum est.

Vindicatio.
Opinio con-
traria.
Resp.

§. 3. Explicationem sequitur **VINDICATIO.** Hîc itaq; contrarium tenent isti, qui cum *Conimbricensibus* dicunt, Signa rebus tanquam Signatis contradistingvi, ut ita Signa rerum non possint esse res ipsæ. Sed ad hoc Resp. cum distinctione, quatenus nimirum Signa cum Signato constituunt disjunctam

disjunctam

junctionem Entis affectionem, inq; formali illorum ratione considerata, eatenus *Ens sive res ipsa non sunt*, sed saltem *modi Entis*: quatenus verò *materialiter & subjective* Signa cum Signato constituunt Entis affectionem, eatenus Signa non minus ac Signata vera Entia sunt, & sic etiam hoc loco à nobis considerantur.

§. 4. *Vindicationi* subjungendus quoq; est *Usus & Applicatio*. Pontificiis in usu est imagines sanctorum, Christi, & B. Mariæ adorare, prætentibus, se externâ adoratione interiorem cordis cultum ostendere, ita, ut cultus externus repræsentet cultum internum, cultusq; externus non dirigatur ad ipsas imagunculas stramineas, cereas aut ligneas, sed in ipsum DEUM, aut sanctos, quorum scilicet ista simulachra sunt. Ast profectò, calva hæc est excusatio, omni capillatio destituta. Externam istam reverentiam agnoscunt Signum esse interioris cultûs, inq; hoc ponunt veram cultûs naturam & rationem, cum tamen non minus illa quoq; exterior *ἰδωλα* veri Entis, & cultus rationem habeat, ac præ se ferat, quàm illa interior. Proinde ut exterior genu flexio coram pictis simulachris est Signum interioris adorationis; Ita quoq; uti hæc est idololatrica, relata ad homines sanctos denatos, & Angelos, ita quoq; ista erit idololatrica, impia & non toleranda inter Christianos.

Usus.

Axioma II.

Non omne Signum est visibile.

§. 1. Probationem hujus secundi Axiomatis non è longinquo accersemus, sed Exempla quædam omnibus obvia, quæq; ad probationem hujus assertionis nostræ minus videntur inepta, delibabimus, quorum primum desumimus à sono campanarum, qui sonus licet non sit visibilis, tamen audibilis, & verum est Signum cultûs instantis sacri. Sic noëmata, Signa intelligibilia, & conceptus sunt Signa rerum, & voces sunt Signa conceptuum, attamen nec conceptus nec voces cadunt sub sensum visûs. Simili modo Spiritus S. dicitur Signum & pignus

*Probatio
Exemplaris.*

hereditatis nostræ, Ephes. 1. v. 13. Cognitio & dilectio DEI est $\sigma\phi\epsilon\gamma\iota\varsigma$ τῆς $\sigma\epsilon\pi\epsilon\tilde{\iota}\varsigma$ $\text{I}\epsilon\upsilon\sigma\tau\alpha\iota\varsigma$, hoc est, Sigillum electionis, 2. Tim. 2 v. 10, sine ullo sensus beneficio. Quâ in re præcuntes habeo B. Meisn. in Philos. Sobr. part. 1. Sect. 4. c. 6. p. 576. Excell. D. Scharff. in Met. suâ Exempl. lib. 2. c. 28. ax. 1. p. 245. & Excell. D. Calovium in Metaph. Div. cap. 25. porism. 2. p. 629. Præceptores, Promotores ac Fautores meos summo honoris cultu colendos.

Limitatio.

S. 2. Dicimus autem valere Axioma nostrum partim *de Signo notificante*; Sic v.g. gratiosa Spiritûs S. inhabitatio in corde credentis est Signum, notificans, credentem cum DEO esse in gratiâ: partim *de Signo commonefaciente*, quæ Signa commonefacientia (græco nomine $\alpha\nu\eta\mu\acute{\omega}\sigma\upsilon\tau\alpha$ dicta) rei cognitæ memoriam conservant. Sic Testamenta Signa sunt commonefacientia. Sic Sacramentum Baptismi & S. Cœnæ sunt Passionis Christi Signum memorativum. Sic omnes veterum historicorum libri continent Signa rerum gestarum. Historicæ narrationes ejusnam sensibus sunt obviam? &c. partim deniq; *de Signo obsignante*: hæc Signa obsignantia (alio nomine $\sigma\phi\epsilon\gamma\iota\delta\epsilon\varsigma$ dicta) sunt Signa notitiam cognitam certificantia. Sic v.gr. Circumcisio Abrahæ $\sigma\phi\epsilon\gamma\iota\varsigma$ seu signaculum justitiæ fidei.

Vindicatio.

S. 3. Ex hisce jam præsuppositis luce meridianâ clariuse esse quilibet videt, quod non omnia Signa sint visibilia, utpote quædam notificantia, quædam commonefacientia, & quædam obsignantia, veratamen sunt Signa. Quam sententiam nostram Calvinistæ negant ac pernegant, Signa dari posse invisibilia, indeq; concludunt, Sacramenta minime rectè appellari Signa. Sic enim habent verba Ursini in Catechesi: *Si Sacramenta sunt Signa, oportet ea sensu percipi. Quod enim non vides, non est tibi Signum. Et qui facit Signum invisibile, ille implicat contradictionem, & facit Signum non Signum. Ergo res invisibiles non possunt esse Signa, alioquin Signa non possunt significare res, multò minus confirmare, quia incertum confirmaretur per incertum. Et quia pars altera materialis, nimirum cœlestis, invisibilis est, ob id*
incom-

*Pernegatio
Calvinista-
rum.*

incommodè totum Sacramentum Signum appellatur. Similem quoq; fovet sententiam Timplerus lib. 3. Met. c. 4. quæst. 19. ubi omne Signum præter conceptum Ens externum defendit, verba illius sunt sequentia: vehementer errant illi, qui in Eucharistiâ duplex Signum esse statuunt, unum externum, nempe panem & vinum, alterum internum, nempe corpus & sanguinem. Ex quibus allegatis verbis hoc elicimus, quod scilicet juxta illorum opinionem omnia Signa debeant esse visibilia & sub sensum externum cadere. Verùm ad hæc falsissima illorum ratiocinia Resp. quod non sit de necessitate Signorum, ut omnia sint visibilia, dum in codice sacro multa invisibilia invenimus Signa, ex quibus Ursini ac Timpleri assertio falsa ac inepta erit. Sic v. g. Deus est Signum confirmans unionem nostram in Christo, 1. Cor. 1. v. 21. Sic afflatus & ventus invisibilis die Pentecostes supra Apostolos effusus, erat Signum collati & advenientis Spiritus S. Act. 2. v. 2. & plura alia vide sis apud B. Meisn. in Phil. Sob. c. I.

Resp.

S. 4. Audiendi itaq; non sunt Zacharias Ursinus, Timplerus aliq;, qui omne Signum visibile faciunt, imò de formali ejus esse dicunt, quod sit visibile, cum tantùm accidat Signo ab extrinseco videri & non videri. Quodcumq; ergo rei ab extrinseco accidit, illud non est de formali ejus ratione. Esse visibile vel non visibile Signo ab extrinseco accidit. E. non est de formali ejus ratione. Maj. probamus, quia formale, alicujus rei non extrinsecum, sed intrinsecum est. Minor. prob. quia visibile denotat respectum ad potentiam visivam, sicut audibile ad potentiam auditivam, potentia autem visiva est in oculo intrinsecè, ad aliam rem constituendam intrinsecè ergò concurrere non potest, aliàs sequeretur, idem simul esse & non esse. Præterea si de Signi ratione formali est signare, impossibile est de ipsius ratione formali esse visibile esse; Sed verum prius. E. & posterius. Antecedens probatur ex naturâ Signi, quæ ad signandam & significandam rem determinata est. Consequentia probatur, 1. quia diversa secundum idem de re una prædicari nequeant. 2. quia unius rei, una est natura, una essentia, & sic quoq; una formalis ratio.

Usus.

Axiom.

Axioma III.

Inter Signum & Signatum est diversitas.

Prob. 1.

2.

§. 1. Hæc Signi & Signati diversitas probatur 1. quia sunt opposita membra affectionis disjunctæ; Jam opposita membra affectionis disjunctæ sunt distincta. Signum & Signatum sunt opposita membra. E. sunt diversa. Maj. prob. quia de oppositis est diversa ratio, & illorum unum de altero prædicari nequit, multò minus unum cum altero conjungi poterit. De Min. nemo dubitat, quia apud omnes in confessio est Signum & Signatum esse affectiones disjunctas easq; esse oppositas. 2. quia diversos conceptus gignunt, quæ ergo diversos conceptus gignunt, illa distinguuntur; Signum & Signatum &c. E. Maj. prob. quia conceptus deducunt nos in cognitionem rerum, & ubi sunt diversi conceptus, ibi deducimur in cognitionem diversarum rerum. Min. patet, quia Signum alium conceptum à Signato, & hoc alium ab illo præbet.

Limitatio.

Questio.

Resp.

§. 2. Diximus esse *diversitatem inter Signum & Signatum*, cum autem duplex sit *diversitas*: *alia realis*, *alia rationis*: realis diversitas est inter res ita distinctas, ut unum nequeat esse alterum, v. g. homo & brutum diversitatem realem hoc modo habent, quia sunt res realiter distinctæ, ut unum nequeat esse alterum. *Diversitas rationis*, *rationata* scil. est inter res non quidem distinctas, sed ita conceptas quasi distinctæ essent, v. g. Petrus & præsentia Petri non quidem sunt res realiter distinctæ, ita tamen in ordine se habent ad nostrum concipiendi modum, ac si distincta essent, ergo non distinguuntur re, sed ratione tantùm. Hic jam ulterius non incommodè quæri posset, quænam notæ distinctionis realis sint? Ad quod Resp. cum Ebelio, qui disp. 4. Met. in compend. p. 57. ponit quinque notas distinctionis realis: (1) *Inter diversa opposita*, vel ea, quæ naturaliter in diversis suppositis sunt & non uniuntur, ut: Petrus & Paulus, & utriusq; doctrina, color &c. (2) *Inter naturas vel essentias diversas & non subordinatas*, ut: inter essentiam rei animatæ & inanimatæ, divinæ & humanæ. (3) *Inter ea quæ separata sunt, vel separari ratione essentia possunt, sive utrumq;*
super

superfuit in rerum natura, quae separatio mutua vocatur, ut pomum ab arbore separatur: Sive alterum tantum, quae non mutua, ut Sessio ad sedente. (4.) Quae proprie & Physicè loquendo habent se ut causa & effectus, sicut distinguitur risus ab homine. (5.) Quae sunt in diversis locis adequatis, vel etiam temporibus separatis, sed naturaliter, supernaturaliter enim res una & eadem potest esse in diversis locis: ut corpus Christi in S.S. Coena probat: Vel, in temporibus separatis, ut resurrectio mortuorum ostendit. Ex praesuppositis nunc dicimus in sensibilibus Signi & Signati esse realem diversitatem 1. quia notas realis diversitatis habent. 2. Quia Exempla id testantur, sic hedera & vinum se habent ut Signum & Signatum & sunt in sensibilibus, maxime autem sunt realiter distincta: in intelligibilibus verò distinctio Signi cum Signato est tantum rationis non realis. Sic aegritudo & febris habent se ut Signum & Signatum, & tamen febris ut Signatum non differt ab aegritudine tanquam Signo realiter, quia se habent ut species ad genus. Sic cum dico: intellectus & scientia de intellectu, ita: cognitio intellectus & intellectus ipse se habent ut Signum & Signatum, non autem sunt distincta realiter, sed habent saltem diversitatem rationis.

§. 3. Sed contrarium tenent Conimbr. lib. 1. de Interpr. *Vindicatio.* cap. 1. quaest. 1. & 2. & Soncinus l. 12. Met. quaest. 59. & Torres de Trinit. quaest. 27. art. 1. disp. 2. ita objicientes: *Objectio.* Relata sunt species oppositorum. Signum & Signatum sunt relata. E. species oppositorum, & per consequens necessario inter Signum & Signatum realis datur diversitas. Sed Resp. 1. quod hoc loco *Resp. 1.* distingv. sit inter relationem predicamentalem & transcendentalem, relationem quandam inter Signum & Signatum transcendentalem admittimus, sed predicamentalem negamus, talis autem respectus transcendentalis non necessario reale ponit discrimen. 2. distingv. inter Signum & Signatum *formaliter,* hoc est ut relativa sunt, & *materialiter,* hoc est pro rebus substratis, quae à talibus relationibus denominantur, sumptum. *2.* Concedimus libenter quod inter Signum & Signatum detur *formalis diversitas,* quicquid enim formaliter importat vox
B Signi,

Signi, id non significat vox Signati. Sed & hoc dicimus inter Signum & Signatum *materialem diversitatem* dari, h. e. talem, quæ pro rebus sic denominatis intelligitur, v. g. talis materialis diversitas est inter ignem & fumum, etiam quando non amplius sibi opponuntur relativè, & de tali materiali diversitate loquitur etiam Metaphysicus. Proinde inter Signum & Signatum *formaliter* sumptum est distinctio realis analogicè dicta, sed inter Signum & Signatum *materialiter* acceptum etiam realis strictè sic dicta dari potest distinctio. Pluribus hæc de re agit Scheibl. in Met. quæst. 4. l. i. c. 24. p. 368.

Usus.

¶ 4. Valeat ergo Paræus qui Signum de Signato affirmare prædicari posse statuit, quod tamen manifestæ veritati repugnat, cum sint diversissima & opposita: *At opposita de oppositis prædicari nequeunt.* Signum & Signatum sunt opposita. E. Signum de Signato prædicari non potest. Major probatur canone topico, quia oppositorum unum de quo affirmatur, de eo negatur alterum & vice versâ. Minorem ex dictis præsupponimus, ex quibus probari facilè poterit.

Axioma IV.

Signa μετὰ δόξαν quod signant etiam exhibent.

Probatio.

¶ 1. Vera hæc exhibitio Signorum μετὰ δόξαν probatur 1. ex derivatione ipsorum græcâ; dicuntur enim à præpos. μετὰ cum, & verbo græco δίδωμαι, quod significat exhibeo, ita ut idem sit ac dicerem Signa coëxhibentia, h. e. Signa μετὰ δόξαν nihil aliud sunt quàm talia Signa, quæ non solum aliquid certè signant, sed & illa Signata verè exhibent. 2. Hæc exhibitio Signorum μετὰ δόξαν probatur per Exempla. Sic Sacramenta Novi scil. Testa. sunt Signa exhibitiva, quia simul exhibent id quod signant, utpote quæ sunt organa efficacia regenerationis & gratiæ divinæ applicandæ. Sic in S. Evcharistia mediante pane & vino tanquam Signo verè ac realiter nobis offertur atq; exhibetur Signatum, corpus scilicet ac sanguis Domini nostri Jesu Christi. Sic tale Signum μετὰ δόξαν est cantharus, quò simul cerevisia vel vinum; & marsupium,

pium, quò simul pecunia exhibetur. Sic cunæ Christi erant
Signum nati Mesfiæ exhibitivum &c.

§. 2. Porrò jam observandum, valere Axioma hoc 1. *non Limitatio*
de Signis significativis; Quale Signum significativum Eusebius
memorat lib. 1. de vitâ Constant. cap. 22. p. 238. in historiâ de
Constantino Imperatore, qui per quietem nomen Christi in-
star crucis scriptum vidit & vocem audivit dicentem: *In hoc*
Signo vinces. Sic tale Signum (ut ex sacris exempla liceat ad-
dere) fuit etiam illud, de quo legere est Jos. 2. v. 18. iste scil.
funiculus coccineus in ædibus Rahab suspensus, quo animad-
verso milites familiæ ejus parcerent. Simile etiam Signum
Judas Ischarioth dedit cohorti & ministris armatis, nimirum
osculum, quo Christum proditurus erat, Matth. 26. v. 48. Sed
de talibus Signis significativis non valet axioma nostrum; Sed
2. *de Signis exhibitivis*; quænam hæc sint Signa, id quoq; in
prædictis annotavimus, propriè scilicet omnia Sacramenta,
quæ ceu divina signacula beneficia spiritualia verbo promiss-
ionis oblata obfignant, unde signa obfignantia appellantur.

§. 3. Hic habemus nobis contradicentes Calvinianos fal- *Vindicatio.*
sam hanc opinionem foventes firmiterq; credentes, quod
Signa ista visibilia ac terrena panis scil. & vinum in S. Eucha-
ristiâ nuda tantum sint Signa corporis & sanguinis Christi, hoc
namq; illis verosimile videtur esse ex falsissimâ illorum expli-
catione vocabuli *Est* in verbis institutionis cœnæ existentis,
quando enim ad explicationem horum verborum, *hoc est cor-*
pus meum, hic est sanguis meus, perveniunt, dicunt, quod per
vocabulum *Est* nil aliud indigitetur quàm id, nimirum *hic pa-*
nis qui frangitur est saltem Signum corporis mei pro vobis traditi,
& hoc vinum vobis adbibendum porrectum est Signum tantum nu-
dum sanguinis in arâ crucis effusi, ideoq; minime per ista externa
Signa ac visibilia denotatur signatum, res scil. cœlestis, quæ
est corpus ac sanguis Christi. Ad hoc verò Resp. quod, si verba
Christi ita juxta Calvinianorum Sententiam essent explicanda,
etiam sequeretur, Christum in verbis cœnæ nullam prorsus
instituisse manducationem corporis, ac bibitionem sanguinis
sui, nec fidei, nec oris, quæ consequentia testibus ipsis Cal-

Falsissima
Calvinista-
rum expli-
catio vocab.
Est.

Resp.

vinianis absurdissima est. Nam Christus discipulis suis non iussit *Signum duntaxat corporis sui edere, & Signum sanguinis sui tantummodo bibere, sed ipsum quoque corpus edendum, ipsumque etiam sanguinem bibendum iussit.* Vid. hanc in re plura apud Graver. in Polem. Sacra p. 120. 121. & seqv.

Usus.

§. 4. Transeat nunc hæc Calvinistarum opinio, quia recta ac vera Signorum horum *ἡσθητικῶν* explicatio edocet nos, quod non Signa saltem nuda in Sacramentis cum cohorte hæc Calvinisticâ credamus, neque cum illis externa elementa panis & vini integrum Sacramentum cœnæ constituamus, quæ signent ac significant tantum corpus ac sanguinem Christi: Sed firmiter ac indubitatè statuamus, quod sint *Signa sive media ἡσθητικὰ καὶ ὄρατα*, i. e. *exhibita, per quæ Christus suum corpus manducandum & sanguinem bibendum communicat.* Hinc fit, ut per sacramentalem unionem, quæ tota est arcana ac mystica, corpus Christi de pane, sanguis de vino verè & realiter prædicetur. Unde Paulus scribit: *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi? Panis, quem frangimus, nonne communio corporis est?* 1. Cor. 10. v. 16. Porro sciendum, non solum terrenæ res, panis & vinum esse Signa obsignantia gratiam Dei, remissionem peccatorum & salutem æternam; Sed ut Christus Salvator quàm optimè consuleret nostræ infirmitati & firmissimè confirmaret fidem nostram, placuit ei non nuda significantia Signa, non solum panem & vinum in S. cœnâ distribuere, sed simul cum illis corpus ac sanguinem suum cõmunicare, ut ita *integrò* Sacramento cœnæ ex re terrestri & cœlesti tanquam signaculo beneficia sua nobis obsignaret, inque nobis confirmaret. Hanc in re vid. Johan. Conradus Pffel in clavi Theol. artic. 16. in loco de Cœnâ Domini p. 590.

Axioma V.

Voces sunt Signa conceptuum.

Probatio

15

§. 1. Quod voces sint Signa conceptuum, id apertè docet Arist. lib. de Interpr. cap. 1. & probatur (1.) quia aliàs non pronunciarentur mendacia. Mentiri enim idem est ac contra mentem.

mentem ire : unde si quis voce significat quod res est, secus tamen loquitur ac est in animo, potest ille vocari mendax, ut eruditè disputat Scalig. Exerc. 2. Jam ergo dicimus ex adductis necessariò sequi, mendacium intrinsecè consistere in difformitate vocis ad conceptus, quatenus illorum conceptuum fiat notificatio. Per voces verò debent notificari conceptus, ergo quàm maximè illorum Signa esse oportet. (2.) probatur, quia summa finis necessitas id testatum reddit, *nam negatò hoc, negare etiam necessum est posse fieri communicationem aliquam consiliorum & doctrinarum inter homines*, communicatio enim hæc consiliorum inter homines perfici nullo alio modo potest, nisi per notificationem conceptuum singulorum. At conceptus suos homines hominibus immediatè (prout id ab Angelis fieri dicitur) imprimere non valent. E. per aliud quid fieri talis conceptuum impressio necessum est, mediatè scilicet vel per vocem vel per scriptionem. (3.) prob. quia ipse quotidianus usus atq; experientia cuilibet id notificat. Quis enim hoc in seipso non expertum tenet, cum audit quendam loquentem, quod tum animus istius feratur, ad apprehendendos hujus loquentis conceptus?

2.

3.

¶ 2. Adductis hisce probationibus axiomatis nostri porrò id valere dicimus *non de Signo suppositivo*, quale signum est vox respectu rei, v. g. cum dico: homo est animal, tunc hoc intendo, quod res illa, scilicet homo, realiter sit animal; Sed potissimum *de Signo manifestativo*, quod nimirum in Sermone non pro ipsâ re ponitur, sed rem eandem saltem manifestat & notificat, v. g. hederæ est Signum manifestativum cauponæ.

Limitatio.

¶ 3. In contrarium tamen sic objici posset: 1. *Quodcumq; in oratione pro suo significato supponit, illud non est Signum, sed res ipsa conceptuum.* Atqui de vocibus verum prius. E. & posterius. Prius suâ luce radiat. Posterius probatur, nam cum dico: homo est animal: sensus est, rem illam, quæ est homo, esse rem illam, quæ dicitur esse animal. 2. Si voces sunt Signa conceptuum, non erunt Signa rerum. Sed consequens juxta mentem Philosophorum videtur esse falsum. E. & antecedens falsum

Object.

1.

2.

B 3.

erit.

Resp.

erit. Dicuntur namq; multæ voces, quibus nullus respondet conceptus, sicuti quando istæ efferuntur incogitanter, sic in divinis multa à nobis dicuntur ac recitantur, quæ minimè intelligimus, siquidem ista (dicente Justino) sint *ἡρώεγ νῆν, καὶ κατὰ ληψιν ἡμῶν*. Verùm Resp. ad utrumq;: ad *primum* ex distinctione inter *Signa suppositiva* & *manifestativa*. Nos, quando dicimus in axioma voce esse Signa conceptuum, non intelligimus *Signa suppositiva*, sed tantùm *manifestativa*, h. e. talia Signa quæ in sermone non supponunt pro re ipsâ, sed eandem tantummodò manifestant & notificant. Sic diebus Solis tale Signum campanarum pulsus, indicans ac notificans quod templa sint frequentanda. Ad *alterum* dicimus

1. *in genere*: quod posito uno, non statim negetur alterum.
2. *In specie*: quod nimirum per conceptus hîc non excludantur res, sed simul potius intelligantur, conceptus enim non possunt significari per voces, nisi hoc ipso etiam res significant.

Instant. 1. *Dicis*: Nullo modo voces significare res, sed tantùm conceptus, quia voces inventæ sunt ad significandos conceptus, immediatè enim (uti etiam superius dictum fuit) non poteramus conceptus nostros manifestare, ideoq; voce opus erat.

Instant. 2. *Deinde*: Multæ etiam sunt voces sine rebus, v. g. ista syncategoremata, omnis, nullus, quidem, aut &c. Sed *ad instantiam primam* Resp. concedendo, quod maximè inventæ sint voces ad significandos conceptus, verùm quid quæsò aliud

Resp. ad 1. sunt conceptus quàm signa rerum? Ad *alteram* dicimus, Syncategoremata ista adducta non posse aliquid vi illius particulæ *σὺν* significare videmus, juncta verò ista syncategoremata quàm maximè rem quandam signare statuimus. Hisce itaq; præmissis concludimus, voces esse Signa conceptuum & rerum simul. Vid. hîc Scheibl. in *Metaph. quæst. 7. pag. 380. & seqv.*

Ufus.

§. 4. Circa usum hujus Axiomatis tenendum est, quod omnes mendaces, hypocritæ, vani verborum nugivenduli contra istud peccent, dum verba proferunt labiis, quorum tenor non correspondet cum conceptu cordium. Ideoq; menda-

mendacium non veritas, subdola deceptio, non aperta confessio in talibus est, quia voces & verba non sunt Signa conceptuum. Et vel eâ de causa Calviniani deberent abstinere à simulatâ istius voluntatis explicatione, quam DEO assignant, quod is aliud ore loquatur in verbo ad homines, quàm senserat intus & in corde apud semet de hominibus. Sed ista Theologorum cura esto. Nos progredimur ad

Axioma VI.

Signum verè & propriè Signatum exprimit.

§. 1. Sextum hoc ad ultimum Axioma probamus 1. hoc *Probatio Syllogistica.*
Syllogismo: Quodcunq; potentiæ cognoscenti aliquid repræsentat, illud verè & propriè Signatum exprimit. Signum potentiæ cognoscenti aliquid repræsentat. E. Signatum verè & propriè exprimit. Major probatur, quia dum repræsentat potentiæ cognoscenti aliquid, simul Signatum innuit, & sic verè & propriè Signatum exprimi nullum est dubium. 2. Probamus illud sequenti ratiocinio: *Quaecunq; sunt relata, illa se invicem mutuò exprimunt. Signum & Signatum sunt relata. E. se invicem mutuò exprimunt.* Major probatur, quia posito uno relatorum, ponitur & alterum, & juxta commune axioma: relata sunt simul naturâ. De Minore nemo dubitat: 2.

§. 2. Valet Axioma tam in iis, in quibus Signum & Signatum distinguuntur; quàm ubi Signum & Signatum sunt idem, v. g. cum dico: febris est Signum ægitudinis & simul est Signatum, illum hominem minus esse validum seu esse valetudine adversâ præditum, tum Signum & Signatum verè se invicem exprimunt &c. *Limitatio.*

§. 3. Multos habemus hîc nobis contradicentes, ut plurimum verò Calvinistas, qui distinguunt inter Signum revelatum *Contradictio Calvinianorum.* & arcanum, seu quod idem est, inter DEI voluntatem Signi & beneplaciti, nam in alienam penitusq; diversam significationem vocabula ista detorquentes per Signum arcanum vel per voluntatem beneplaciti absolutum quoddam DEI decretum, quò DEUS non omnium hominum velit salutem, sed tantum illorum.

rum quos absolute prædestinaverit; per *Signum vero revelatum vel Signi voluntatem hypocriticam DEI voluntatem*, juxta quam omnium hominum salute delectari sese exterius quidem declararet, intus autem in arcano suo consilio longè aliud decretum habeat, intelligunt. Vel: ut multa paucis comprehendamus, DEUM velle quidem omnes fieri salvos voluntate Signi, non verò voluntate beneplaciti, ἀπ' αὐτοῦ, ἀσβεβῶς!

Usus.

§. 4. Malè igitur se habere Calvinistarum opinionem *de voluntate Signi* rectè dicimus, quã nimirum DEI voluntatem hypocriticam, imò (quod horrendum dictu) DEUM ipsum *ἀσβεβῶς* accusant, quando assertionum suarum testimonia ex sacris petita adducunt, quando DEUS dixit: Ego indurabo cor Pharaonis. De quibus verbis Hieronymus Zanchius in lib. 3. de naturâ DEI cap. 4. p. 331. scribit: Pharaoni jubet DEUS per Mosen, ut dimittat populum: nec tamen volebat DEUS simpliciter, ut dimitteret. Ideò dixit: Ego indurabo cor Pharaonis, ne dimittat populum: Fuit igitur *voluntas Signi*, quia Pharaon habuit Signum voluntatis divinæ, nempe præceptum DEI: Sed non *beneplaciti*, quia non placuit DEO, ut populus dimitteretur. Item historiæ de Abrahamâ Theodorus Beza part. 2. colloq. Mompelg. distinctionem hanc inter voluntatem Signi & beneplaciti applicat dicens: Abrahamo præcipit *voluntate Signi*, ut offerat filium suum Isaacum: quem tamen *voluntate arcanâ beneplaciti* vivum conservatum voluit. Eodem modo quando DEUS multoties erga suos se ostendit severum & iratum: qualem sese Christus quoque ostendit, *voluntate Signi erga mulierem Chananeam*: cum tamen *voluntate arcanâ beneplaciti* paternus divinæ clementiæ affectus, quasi occultatus latuerit. Sed ne disputatio nostra extra limites migrare videatur, cætera testimonia, quibus in probatione falsissimæ suæ opinionis uti solent ipsi Calviniani, silentio jam præteribimus, & brevibus saltem ad duo ista testimonia adducta respondebimus. Nullo igitur modo Pharaon *voluntatem duarum Signi* per Mosen à DEO accepit, non autem voluntatem ipsam beneplaciti ut dimitteret populum Israeliticum, huic enim Sententiæ manifesta repugnat

ratio

ratio, siquidem Signi voluntas & beneplaciti sunt relata, quorum unum alterum exprimit, & qualis est respectus inter Signatum & Signum, talis quoque est inter voluntatem Signi & beneplaciti. Jam constat, Signum illud, quod aliud, præter id cuius Signum esse dicitur, significat, esse Signum falsum. E. etiam voluntas Signi nulla erit, si aliud quid, quàm quod intus decreverit, exprimat, & sic ex præsuppositis rectè refellimus illorum Calvinianorum Sententiam dicentes, quod nullatenus Pharao *voluntatem saltem Signi à DEO* per Mosen acceperit, sed simul ipsam *voluntatem DEI beneplaciti*, aliàs enim sequeretur in DEO dari contrarias affectiones, una quâ vellet, & altera quâ nollet, sed DEI dicere, etiam esse DEI velle, sacra nos docent. Deinde nulla datur contrarietas *inter voluntatem Signi & beneplaciti*, sed hoc verum manet, quod omnia quæ DEUS velit voluntate præcepti, illa ipsa etiam velit voluntate decreti, sed non reciprocè. Reliqua huc facientia possunt legi in B. Meisn. Philos. Sobr. Sect. 4. qv. 7. p. 629. seqv. & in Anthropol. Dec. 2. disp. 2. q. 1. n. 16. D. Hütt. in form. concord. artic. 11. p. 1173. seqv. Danhavv. in Hodof. Phœn. 3. p. 164. Gravveri Polem. sacrâ à pag. 205. ad pag. 236. & seqv. Et tantùm hâc vice.

Gloria sit Patri, Nato sit gloria Christo;
Gloria Spiritui; Triadi sit gloria Sanctæ.

Corollaria Philosophica de Signis.

1. *Varia sunt Propositionum Logicarum Universalium ac particularium Signa.*
 2. *Iris est Signum non amplius venturi diluvij.*
 3. *Zodiacus fert Signa cœlestia.*
 4. *Astrologia etiam Signa habet, ex quibus de morte naturali & violentâ potest decernere.*
 5. *Astrologus etiam ex certis Signis etiam de aliis rebus quàm inclinationibus & temperamento potest iudicare.*
 6. *Crebra actio est Signum habitus moralis.*
 7. *Trophæa sunt Signa victoria.*
 8. *Legitima possessionum acquisitio Signum diligentis Patris familias.*
- Hec sufficiant.*

C

CAR.

CARMINA GRATULATORIA.

Qua tibi de SIGNO nova dissertatio nata est,
Te signat docti nomen habere viri.
Perge debinc, SCULTETE, tua dare plurima mentis
Signa, manent capiti premia digna tuo.

Johannes Meisnerus D.
h. t. Rector.

Herculeo in præcepta ruens, SCHULTETE, labore
Philosophum, ingenii quam vim, quas pectoris alti
Numen crediderit dotes, ostendis. Et ecce
In rostris monumenta Tui præclara loquuntur
Conatus. Sic perge: Parat fastigia celsa
Parnassi montis servans Tibi digna Tropæa.

Christianus Trentschius, P. P.
& h. t. Decanus.

Ad Præstantiss. atq; Ornatisimum

Dn, Respond. Auditorem meum
diligentissimum.

Qui pulpitem ascendere vereris minime
Et exhibes examini Te publico:
Benè facis, & qui commodet Tibi magis?
Etenim jacentibus quid est quod premium
Detur, & inertibus. Oportet eum, cupit
Qui insignia tenere, gemere prius &
Sudare multum, sequitur gaudij
Satis & honoris affatum, hinc super & salis.

Nicolaus Pompejus,
Prof. Publ.

TE DEUS Albiacis Mi fili servet in oris,
Ut Redeas salvus, cultus & arte domum!

Ex paterno affectu fundebat

Thomas Schultetus,
Neo-Wedel. Pastor.

Disse.

Differis? est Signum quod laurea ferta capeñas,
Signum est, quod pectus flagret honore tuum.
Gaudeo, congrator, producit Marchica tellus
Qui patriæ possint arte præesse suâ.

Gratulabundus posuit

P R. Æ S E S.

DE SIGNO dum verba facis, doctissime SCHULTZI,
Signa tua mentis præbes spirantis ad alta,
Nobis, hinc tentas superare cacumina Pindi
Assiduâ curâ, vigili quoq; pollice volvis
Doctorum libros. Ne gloria magna manebit
Te, quia semper honos merces solet esse laboris.
Maeste tuo genio, pectus suffundere perge
Aurâ Musarum, præsagia vera videbis.

*Paucas has manûs mentisq; candidæ lineolas
Eruditissimo Dn. Resp. lubentissimè
adjicere voluit*

M. Johannes Werger, Lubecensis
Facult. Philos. Adj.

DE meliore luto finxit præcordia Titan
SCHULTETO, nobis quod dissertatio docta
Signat, sudoris te præmia digna manebunt,
Accipies laurum quam TRENTSCHI Dextra datura est.

Affectu quàm vena meliori

**M. Christianus Schulz/
Zanov. Pomer.**

Ardua tractasti, Teutschmanno Præside, nuper,
Queis Hoëi magni grande tueris opus.
Signatum Signum Fidei SCULTETE dedisti,
Ut primum facias à JOVE principium.

C. 2

Jam

Fam Metaphysin agis, signantia Signa recludis,

Sic vis Ingenij notificare notas.

In Signum Voti tenui te carmine Signo,

Ut clueas aliis ter magis arte-sophis.

Hæc ex benevolâ animi mente

addere voluit

Christianus Starck / Not. Publ.

Judiciiq; Neo-Wedel. & Falcken-
burg. Director.

Ad

Per-Eximium & Præstantissimum

Dn. Respondentem, Amicum per-
dilectum.

IN cœna Domini non comprobat EXHIBITIVUM
Calvinus SIGNUM, sed negat huncce modum.

SCHULTZIUS id contrâ declarat pectore docto,

In cathedra cunctas discutit ille strophas.

Sicq; tui ingenii SIGNUM resplendet acuti,

Portendens patriæ digna brabea tuæ.

SIGNATUS redeas præclarâ laude Magistri,

Quæ tibi perpetuus conciliatur honor.

apprecans scribeb.

Fridericus Cölerus,

Rezens. Neom. S. S.

Theol. Stud.

Chronedistichon.

PROPONIS signa, at signant & Mentis acVtæ

Dotes; grator ego, læta brabea geres.

Hæc pauca singularis amoris ergo

addere debuit

Ægidius Müzelius, Neo-

Berolin. Neo-March.

F I N I S.

Coll. diss. A. 69. nuse. 33.